



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De principibus qui solent suos sacerdotes iudicandis ministeriis deputare.
cxlix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Si in hoc ordine, qui quartus est à capite, dignum est custo-
diri, quantò magis in primo, vel secundo, tertiove seruan-
dum est, ne aut Leuitico, aut presbyterali honore, aut epi-
scopali excellentia quisquam idoneus aestimetur, qui se à
voluptate vxoria necdum frænasse detegitur?

*De principiis qui solent suos sacerdotes ministerūs
iudicandi deputare.* Cap. CXLIX.

SAEPE principes, contra quoslibet maiestatis obno- *Ex cōcil.*
xios, sacerdotibus negotia sua committunt. Et quia sa- *Toleta-*
cerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi *no.ca 31,*
consentiant regibus fieri iudices, vbi iure iurando suppli-
cij indulgentia promittitur, non vbi discriminis sentētia
præparatur. Si quis etiam sacerdotum contra hoc cōmune
consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus
effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat
proprium gradum.

*De illis qui Deo seruire disponunt, ut administratio-
nem domorum non accedant* Cap. CL.

Nicasius Euastitanus Episcopus dixit: Credo placere *Ex cōcil.*
suggestionem meam sanctitati vestrae, & displicere *Cartha-*
vobis, ut qui seruiunt Deo, & annexi sunt clero, accedant *gi.ca. 7.*
ad actus, & administrationem, vel procurationē domorū.

*Item si liceat aliquem ex clero conductorem priua-
torum fieri.* Cap. CL I.

IT E M placuit, ut episcopi, presbyteri, & diaconi, vel *Ex eodē,*
clericī non sint conductores, aut procuratores priua- *cap. 14.*
torū, neque vlo turpi, vel in honesto negocio victū quæ-
rant: quia respicere debent scriptū esse, Nemo militans
Deo, implicat se negotiis secularibns.

*Vt si quilibet ordinatus infra muros ciuitatis ma-
nens, ad sacrificium quotidianū non venerit,
clericus non habeatur.* Cap. CLII.

PR E S B Y T E R, vel diaconus, vel subdiaconus, vel *Ex cōci!*
quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra ciuitatē toletano,
fuerit, vel in loco in quo Ecclesia est, aut in castello, aut *cap. 5.*
in vico, aut in villa, si ad Ecclesiam ad sacrificium quoti-
dianum non venerit, clericus non habeatur, si castigatus
non emendauerit.